



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

52. Sinensis amicitia fidelis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

rem inepta videbatur, quod ita conferi nequiret ut commissuræ penitus laterent; sed diuinavit hoc ipso Riccius pluris decuplo æstimandam, quod tribus ab sese disjunctis tabulis ars picturæ, figuram vnã tam aptè indidisset; & quod erat erroris, & infortunij, artis caput euasit. His diu & sapius inspectis, cum singulari commendatione, demum Patris in aurem Eunuchus, de cætero inquit, imo prorsus de summa innuens, reliquis iis quæ ostendebantur, alioqui in cassum futuris; adhuc enim hærenti Riccio quid vellet, clarè ait de mercurio figendo, durandoque in argentum probæ ac legitimæ cocturæ, quod vos occidentales Philosophi, fama teste, optimè tenetis: cui Riccius tam longè à vero abesse occidentales Literatos, transformatione metallorum occupari, ut Chemista & fatuus apud nos idem esset, paucos sumptuosè in eo delirare, nemini vnquam processisse. Hic Eunuchus ex comi ferius, mentum prensans imberbe, velutque nunc id primum reputans, cuius antea fuisset immemor; non poterat, ait, rebus tuis magis aduersum tempus eligere. Pugnans contra Externos Sinæ, pertinè que huc etiã armorum fragor; quis te nisi sibi inimicissimus Regi audeat nominare? quo tanquam proximo timore semianimis abcessit; expertus videlicet Eunuchos Regis imperio, vbicumque molesti fuissent, solitis fustibus ad necem contundi: at si Regi externum obtulisset, insatiabiliter argenti cupido, conficiendi argenti peritum artificem, nihil erat tam celsæ inter Eunuchos gratiæ & honoris, quod sibi ab Rege non confideret tribuendum. Eunuchi responso Guanus Præses, & Riccij causa dolens, quem verè amabat; & sua, nam & sibi timebat, persuaderi tamen non potuit, quod multi suadebant, ut abiret Riccium, sibi que ignotum simularet; eicere id solum ut eum reduceret Nanchinum, ac ne id quidem aded seuerè, quin assentiretur facile roganti, ut se in omnes casus Pechini relinqueret, cumque Mandatino gratulatione annua natalis Regij perfunctos oporteat intra mensem Pechino abire, at discedens ipse multas Riccio dedit ad potentes amicos epistolas quibus illum enixè commendabat. Verum nemo omnium ausus est vel consueti honoris salutationes ab eo admittere, nedum patrocinari eius negotio: quate mensis vnus repullas p. illis continuas, Nanchinum remensus est iter, Pechino malens per se vltro abscedere quàm expelli, & discessus mœrorem spe bona sustentans redeundi, cum illic tam multos relinqueret admiratores sui, sibi que peramicos, & donorum quæ Regi ferebat laudatores, quos vnus ab eo auerterat suspicionum timor, ne armis externorum, Sinas terrentibus, familiares externo crederentur. Cæterum illi clam per fidos homines significauerant, ponente belli Iaponici strepitu, curatos eius in aulam reditum. Ferebatur Nanchinum aduerso flumine inepta navi, & ab remulcis, & remis tam malè instructa, ut Lincinum vsque (Sciathunæ Proinciæ urbem opulentam) mensem posuerit; quæ lentæ tædij navigationis in otium vertit affecti pridem explendi

Z

51.
Eunuchus
fidem fallit.

52.
Sineosis ami-
cicia fidelis.

52.
Vocab. à Ric-
cio sinense
eximium.